Varsoviae
3 decembri 1888.

Illustrissime Vir!

Reiterata hoc anno excursio botanica in silvam „Bialowieza" (Lithuania), quo jam anno praeterito profectus eram, multis ignotis mihi adhuc speciebus meum herbarium locupletavit. In his nonnullae videntur mihi novae species, quas ut antea, tum et nunc. — adjectis descriptionibus iconibusque — Vestro Censu proponere audeo. Etiamtum copiose obviam mihi venit jam notas Vobis Pol. simulans nov. sp., qui non rite evolutus et

in exiguis speciminibus a me antea lectus, haud dubitandam similitudinem cum Daedalea unicolori praestabat. Nunc autem contigit mihi ex maturis speciminibus strictissime eum a Daed. unic. distinguere. Communico Vobis his litteris specimina Pol. simul. et Daed. unicol. in eodem ramo betulino copiose a me lecta, quae etiam nunc optime (statu vivo etiam multo magis) inter se differunt. Quamobrem hanc novam speciem Polypori nunc restituere velim.

Praeterea in altera epistola, quam simul misi, inclusi sunt nonnulli insectes, ibidem in

Lithuania lecti, quos adhuc certe determinare non possum, — qui tamen — ut videtur — non rari esse debent. Ne sim Vobis molestus, rogans, ut, si tempus aderit, velitis et hos fungillos determinare.

Ego, qui non semel benignissime a Vobis in studiis mycologicis adjutus eram, et nunc sperare audeo epistolam meam sine responso non mansuram.

Vobis deditissimus

Fr. Błoński